Q. D. B

RECTORE MAGNI

SERENISSIMO PRINC

DN. FRIDERIC

ELECTOR. SAXON. HERE

EXERCITATIONEM PHIL

DE

ABRAH

MATRIM

DISSIMU

Ex Genes. XII. 13. seqq. col

IN

ILLVSTRI AD ALE

PRAES

M. CHRISTIANO

FACVLT. PHILO

Die XVI. MAI. A. R.

IN AVDITOR

PVBLICE DE

RESPON

SAMVEL SCHEK

S. THEOL

VITEMBERGAE, FORN

D. B. V.

AGNIFICENTISSIMO

PRINCIPE AC DOMINO

RICO AVGVSTO

HERED. ETC. ETC. ETC.

PHILOLOGICO-MORALEM

DE

AHAMO

IMONIUM

MULANTE

qq. coll. cum Cap. XX. 1. seqq.

IN

D ALBIM ACADEMIA

RAESIDE

NO CAROLO Stempel,

PHILOS. ADIVNCT.

AI. A. R. G. MDCCXIV.

TORIO MAIORI

ICE DEFENDET

RESPONDENS

HEKEL, THAR. MISN.

HEOL. CVLT.

, FORMIS KREVSIGIANIS.



DE

ABRAHAMO MATRIMONIVM DISSIMVLANTE.

PROOEMIVM.



Nter alia argumenta, quae urgeri maxime ſolent, a quibus interdictum lectionis Biblicae excommunicatorium profectum eſſe novimus, illud quoque haud poſtremo loco praetexitur, quod divina volumina ſubinde enarrent lapſus, vitia, et infirmitates Sanctorum, ex quibus, tum in fidei doctrina, tum in vitae, ac morum praeceptis, Laici Alphabetarii anſam, et occaſionem errandi accipere, et utrobique corrumpi facile poſſent. Hinc facultatem ſcripturam Propheticam, et Apoſtolicam legendi non debere promiſcue omni generi hominum indulgeri, aſſerunt, cum alioquin hoc ſit *ponere gladium in manu infantis*,

 lapi-

lapidem offensionis proiicere in via, ut labantur infirmi, interprete *Nicol. Le Maire Part. I. Sanctuar. prof. occl. p.* 80. vel, quod *Stapleton.* in *Promtuar. Cathol. p.* 199. ait, *stultis, ac paruulis enses, et cultros committere.* Imprimis vero quoad mores Scripturas putidis, ac curiosis Idiotis praecludendas, aut eripiendas esse suadent, quia in illis, praesertim in V. T. Historiis, sanctorum lapsus, et peccata satis dilucide commemorentur. Inde adeo *Ebrietatem Noachi, incestum Lothi, et Thamaris, Polygamiam Patriarcharum, diffidentiam Mosis, homicidium, et adulterium Davidis, inobedientiam Ionae etc.* mirum quantum suggillant, hincque occasiones errorum, et malarum cogitationum suboriri, nec non periculum subesse, ne populus rudis provocetur, vel ad huiusmodi imitanda, vel ad Patriarchas, aliosque sanctos DEI homines contemnendos, nimis audacter pronunciant. Haut infimo vero loco Sanctorum delictis, lapsibusque, quos non ad imitationem, sed ad cautionem, et emendationem, in Scripturis divinis describi novimus, annumerandum quoque esse censent pactum illud Abrahami cum Sarai uxore, quod describitur a Mose *Gen. XII.* 13. *seqq.* ubi narratur, quale consilium

ſilium ſervandae vitae ceperit Abrahamus, quum Aegypto, fertilitate celebri, ex vocatione divina propinquus eſſet. Ibi enim, quoniam norat uxoris ſuae formam, irritando aliorum amori idoneam, ad declinandam mortem, quam ſibi ab Aegyptiis, quos uxor facile ad ſui amorem allicere poſſet, inferendam metuebat, tale conſilium init cum uxore, ut dicat, ſe eius eſſe ſororem, diſſimulet, ſe eſſe uxorem; finem conſilii illius ſibi proponit, non ſolum vitationem mali, ſed etiam adeptionem boni propter eam. Idem quoque altera vice *Gen. XX. 1. ſeqq.* feciſſe legitur, ubi denuo, ut vitae ſuae conſuleret, periculo eidem exponit coniugem ſuam, quam oculis Abimelechi, regis Gerar, forte placituram ſuſpicabatur. In quo conſilio, quoniam ſunt nonnulla, quae in quaeſtionem veniunt, an facta fuerint ea prudentia, quae pium et ſapientem decet, et annon in legem DEI impegerit, operam non ſupervacaneam inſumpturos nos eſſe exiſtimamus, ſiquidem de eo paulo penitius diſpiciamus, quod DEVS immortalis nobis iubeat bene evenire!

§. I.

QVantum ad utrumque locum attinet, negari non poteſt, eundem graviſſime offendiſſe Patres, et Doctores omnes, et inſtar ſcopuli fuiſſe, ad quem multos hinc inde deprehendimus impegiſſe. Sunt enim, qui nimis duriter hoc Abrahami conſilium interpretantur, idemque, praeiudiciis variis abrepti, temerarie ſuggillant. Sunt, qui ſanctisſimum Virum, perfectisſimum fidei exemplum, nullius plane hac in re peccati reum faciunt, et, in toto hoc negotio inhoneſtum quid animadverti poſſe, negant. Sunt denuo, qui eundem, quod una cum uxore conſilium tale ceperit, factum quidem per ſe minus honeſtum iudicantes, laudibus tamen, ſubinde efferunt. Contra ſunt, qui etſi mitiores, et in pientiſſimum Patriarcham bene affecti, nihilominus veritatem ingenue profiteri, et, quae maxime culpari, et taxari posſint, in hoc Abrahami facto offendiſſe videntur. Sententiarum extantiorum Syllabus de his luculenter teſtabitur.

§. II.

Prima, quae ex Patrum ſententiis in cenſum venit, eſt ipſius *Chryſoſtomi*, quem citat *Sixtus Senenſis Bibliothec. S. Lib. V. annot. 89.* qui factum hoc Abrahami adeo duriter exaggerat, ut pronunciet, Sanctiſſimum virum propter mortis timorem uxorem ſuam maluiſſe, voluptatibus donare barbaricis, et Ægyptiae tyrannidi, indeque ipſum in adulterium uxoris conſenſiſſe, et quaſi ſerviiſſe adulterio in mulieris contumeliam, ut mortem effugeret. Saram autem, marito in mortis diſcrimen adducto, ſimulationem et adulterium perſuadenti conſenſiſſe,

ſenſiſſe, etiam adulterio ſe expoſuiſſe, et barbarorum tuliſſe congreſſum, ut maritum ſervaret. Vid. *Homil. 32. in Gen.* et *Epiſt. ad Olymp.* Quam ſententiam Patribus omnibus, et Theologis, inprimis Scholaſticis adverſari, ad Priſcilianiſtarum haereſin inclinare, Apoſtolique monito *Rom. III. 8.* e diametro repugnare, ipſe *Sixtus c. l.* affirmat.

§. III.

Idem fere ſentit *calumniator omnium Patrum V. T.* ſicut ipſum appellat *Rivet. in Gen. Exercit. 73. Fauſtus Manichaeus*, ap. *Auguſtin. Lib.* quem contra eundem adornavit *22. c. 33. 44. et Quaeſt. XXVI. in Gen.* qui, praeiudicio abreptus, Abrahamum, tanquam familiarem DEO commendatum, *infamiſſimum nundinatorem matrimonii ſui* appellare non dubitat, qui, auaritiae, et ventris cauſa, uxorem ſuam regi in concubitum vendiderit; et hoc ipſo divinam V. T. autoritatem convellere conatur, quod ipſum inſignis temeritatis, et dementiae notam eſſe, iudicat *Auguſtin.* l. c. conf. *Loel. de Verbo DEI p. 136. ſeq.*

§. IV.

Ipſe *Origenes*, ne factum hoc Abrahami damnare, et vituperare cogeretur, negavit, narrationem Moſaicam iſtius rei hiſtorice, et ad literam accipiendam eſſe, quia alioquin ipſi turpe factum, et mali exempli videbatur; hinc locum ſuis allegoriis, pro more, quaerens *in Cap. VI. Geneſ. Alioquin*, ait, *quae nobis aedificatio erit, legentibus Abraham tantum Patriarcham non ſolum mentitum eſſe regi, ſed pudicitiam coniugis prodidiſſe? Quid nos aedificat tanti Patriarchae uxor, ſi putetur contaminationibus expoſita per conniventiam maritalem? hoc Judaei putent, et ſi qui ſint amici literae, non ſpiritus.* Sed utrumque

quod

quod ille historice ſumtum non putavit, nobis prodeſſe ad praecautionem, et ad miſericordiae, et bonitatis divinae celebrationem, *Rivetus c. l.* recte obſervat.

§. V.

Duriores hactenus enumeratas ſententias excipit quaedam mitior, ita tamen comparata, ut in omnibus probari non poſſit. Eſt illa Hipponenſium Praeſulis loc. modo cit. qui quidem, Abrahamum uxoris flagitio conſenſiſſe, negat, interim uxoris pudicitiam, quae utrum violaretur, etiamſi quisquam carni eius commixtus eſſet, ſcrupuloſius diſceptari poſſe exiſtimat, pro inſigni ſua erga DEVM fiducia, DEO tuendam commiſiſſe. Summa ſententiae haec eſt: Abrahamum, in Aegyptum, ex vocatione divina, proficiſcentem, inter duo pericula, et vitae propriae, et pudicitiae uxoris, fuiſſe conſtitutum, unum, quum honeſtam elabendi viam reperiret, praecaviſſe, alterum vero DEO commendaſſe; idque haut imprudenter ab ipſo factum fuiſſe exiſtimat, quandoquidem de eo adhuc diſputari poſſe dicit, utrum licitum haud ſit adulterii remedium, vel marito, vel uxori, vitandae alterutrius necis cauſſa? Provocat hanc in rem ad Exemplum, quod Antiochiae, Conſtantino imperante, accidiſſe memorat, ubi uxor caritate mariti alicuius, ob ingens aliquod debitum, quod praeſtare non poterat, occidendi, commota, unius noctis congreſſum, idque ſuadente, et permittente marito, opulentiori cuidam, eundem anxie poſcenti, debitumque mariti ſolvendum promittenti, nequaquam fidem deſerens coniugalem, et poteſtatem non abnuens maritalem, vendiderit, ad vitam mariti redimendam.

dam. Quod quidem minus recte factum fuisse, neque hodienum licere, existimat *Augustinus*, in eo tamen vix excusari posse videtur, quod in re quadam, Sacris humanisque literis ac exemplis dudum comprobata, dubitare voluerit. Neque, si rectius examinetur, alicuius momenti est ratio, quam ad praevisam objectionem, DEO nempe utrumque, in quo constituebatur Abrahamus, discrimen committi debuisse, praetexit: DEVM scilicet hoc ipso tentatum maxime fuisse, eo quod res duae tuendae, et Abrahami vita, et uxoris pudicitia, hac ratione ipsi fuerint commissae, quarum una tamen ab ipso Abrahamo praecaveri facile potuisset. Si enim ita praecaveri potuisset, ut ex ipsa praecautione, Abrahami industria facta, non aliud ortum fuisset malum, periculum scilicet infamiae uxoris, et mala illa duo *incurrentia ita fuissent* comparata, ut unum illorum Abrahamus praecavere, alterum autem, ne quidem omni adhibita industria vitare potuisset, facile daremus, prudenter hactenus ab Abrahamo factum fuisse, quod et DEO commiserit, quae declinare ipse non poterat, ipse tamen quoque fecerit, quantum in se fuerit, ut ab omni proinde tentationis suspicione liberaretur. Longe autem aliud in Abrahami consilio apparet: Namque ex ipso, quem quaerebat, praecavendi modo, ortum fuit manifestum illud infamiae uxoris periculum, quae, ob dissimulatum matrimonium, facile libera putari, et eo facilius ambiri a rege potuit; accedit, quod utrique, in quo constitutus Patriarcha erat, timori, tum mortis, tum infamiae uxoris, uno fidei in DEVM actu, unicaque illa petitione, ut, quod facile fuisset DEO, efficeret, ne uxor, quamvis formae elegan-

tia excellens, a quoquam appeteretur, praecurrere facili negotio potuisset. Hac enim in DEVM fiducia usus, forte impetrasset, ut DEVS Aegytiorum oculos a pulcritudine uxoris appetenda avertisset, ipseque proinde, vel uxoris causa, vel ulla alia, in vitae periculum non incurrisset. Plura hanc in sententiam dabit *Rivet. Exercit. 73. in Gen.*

§. VI.

Missis Patribus, illos nunc recensuisse iuvabit, qui conventionem hanc coniugum non quidem cum Iudaeis insanientibus praecise damnant, quaedam tamen in eadem deprehendi putant, quae iusta quadam, piaque excusatione digna videantur. Quos inter principe loco sisto B. Megalandrum *Lutherum*, qui *Comment. in h. l.* Iudaeos quasi Stoicos, h. e. septies asinos reprehendit, quod adeo duriter hoc factum interpretentur, ac Abrahamum tanti peccati reum faciant, ut dicant, captiuitate Ægyptiaca id punitum fuisse in posteris. Ceterum in eo totus esse videtur, ut Sanctissimi viri factum sobrie, ac reverenter excuset, idemque ex firmissima fide, imo ex ipso Spiritu S. profectum fuisse, pronunciet. Ipsum enim Abrahamum plenum fide, etsi pericula varia viderit, tamen in solam respexisse promissionem, quam sibi, et suo semini factam, et veluti in corpore suo positam, animadverterit. Hinc omnia eum potius, utpote familiam, substantiam, tandem uxorem quoque periculo exponere, quam vitam temere profundere, maluisse, quam DEO recte commiserit, et tamen media non neglexerit, quibus eandem tueri posset. Et ita ipsum regia incessisse via existimat. Multa praeterea in medium affert, quibus defende-

re

re Arahamum satagit, et tandem concludit, Spiritum S. etiam hoc in loco voluisse nobis proponere excellentissimum fidei Exemplum, quo admoniti nos quoque disceremus firmiter inniti promissioni DEI, et urgere eam etc.

§. VII.

Franciscus Iunius in Cap. XX. Gen. consilium Abrahae in sola dissimulatione positum fuisse affirmat, quippe quae cum generis sit medii, et talis a bonis omnino probetur, quae sine iactura veritatis, pietatis in DEVM, caritatisque in homines, et aedificationis, etiam in rebus indifferentibus, adhibetur, recte quoque in Abrahami consilio, et facto deprehendatur, a quo, neque contra veritatem, neque pietatem, neque etiam caritatem communem, sed singularem tantum peccatum fuerit vocationem, qua ipse, et uxor inter se constricti erant, ita, ut ex eo peccato caritas publica periclitata sit. In qua quidem sententia illud prae caeteris taxandum videtur, quod Abrahamum non nisi dissimulatione peccasse pronunciet, quam quidem non plane cum *Cicer. de Offic. III. ex omni vita tollendam* existimamus, interim tamen in Abrahamo neque excusabilem, neque solam, sed multis praeterea peccatis aliis coniunctam, deprehendimus, de quibus infra pluribus constabit.

§. IIX.

Cocceius Comm. in Cap. XII. Gen. irrideri hoc consilium a quibusdam pronunciat, quasi Abrahamus magis fuerit de vita sua solicitus, quam de uxoris pudore, neque satis fuerit confisus DEO. Quod si verum esset, exemplum infirmitatis in Patre fidelium id fore, asserit. Sed constitisse pio viro consilii sui ratio-

rationem; putat, quippe qui hominum consilium de se interficiendo praevenire voluerit. Quodsi autem servaretur propter uxorem, habitam pro sorore ipsius; et hominum fauorem experiretur, qui nempe fratrem colerent propter sororem, et fratris gratiam aucuparentur: vidisse, se vivum aliquid praestare posse, ad conservandam uxoris pudicitiam. Neque diffidentiae esse dicit, si, qui fretus sit divina veritate, et bonitate, et potentia, nihil agat temere, et nihil negligat agere, quod ad salutem expedire, et ad periculum evadendum utile esse possit, quandoquidem, qui talia negligat, DEVM tentet. Quae sane sententia approbari posset, nisi manifestum foret, Abrahamum utique tum diffidentia in DEVM hic peccasse, tum vitae periculum, quod ipsi imminebat, cum elabendi viam videret, illicita quadam ratione evasisse, quam sane citra suspicionem alicuius tentationis negligere debuisset.

§. IX.

Caietanus scribens in *h. l. cit. Riveto l. d.* cum Doctoribus sacris, factum illud, si nihil aliud intervenerit, praeter id, quod narratur, facile excusari posse existimat; nullam enim dicit, mentionem fieri, Abrahamum consuluisse, ut in matrimonium cum alio consentiret, sed instruxisse Saram tantum, ut taceat, se esse coniugem, et manifestet, se esse sororem. Praeterea observat, de Sarai tantum dici, quod in domum Pharaonis fuerit sublata, cuius verbum postea subiungatur: *Et tuli eam mihi in uxorem;* ad quam rem non necessarium fuisse, dicit, expressum Sarae in novum coniugium consensum, cum sufficeret, si absque reluctatione permitteret, se duci tanquam futuram coniugem Pharaonis,

nis, hoc praesuppoſito, aeſtimatum fuiſſe, Sarai et Abraham pro magno beneficio hoc habere, *quia hoc facta prae ſe ferebant.* Quae ultima *Caietani* verba, quod recte obſervat *Riuetus*, non dant locum iuſtae excuſationi. Si enim facta Abrahami, et Sarai prae ſe ferebant, eos pro magno beneficio reputare, ſi Sarai a Pharaone duceretur, certe factis ſuis occaſionem dederunt periculo, et Pharaonem pene induxerunt ad illud facinus perpetrandum. Quod ſi utrique coniugum fiduciam aliquam, quod putat, in DEVM tribuere velimus, qua praeviderit, fore, ut prohiberet malum, antequam coniugium novum iniretur, id non adeo bene fieri poſſe idem *Rivetus l. c.* exiſtimat, cum talis fiducia in facto ſpeciali, ſine ſingulari promiſſione reuelata, certa eſſe plane non potuerit.

§. X.

Pluribus interpretum ſententiis ad h. l. recenſendis non immoramur, omnes enim, quae ſuperſunt, fere ita comparatae ſunt, ut ex iis, quae hactenus in medium allatae fuerunt, facile de illis iudicium ferri queat. Ordo iudicandi, et cenſendi nunc nos ultro tangit, quid in facto hoc Abrahami excuſari, quid culpari mereatur. Quod ut eo accuratius, reverentiusque fiat, quaedam praeguſtaſſe hic iuvabit, quae forte nos in meliorem totius rei cognitionem deducere poterunt.

§. XI.

Primo omnium de eo disquiri meretur, qui fieri potuerit, ut Sara vetula, et anus quendam ad ſui amorem pelliceret? Nam ut demus, formae elegantia eandem prius excelluiſſe, anni certe, quorum usque ad 65. iam perveniſſe legitur, gratiam omnem, et leporem detraxerant, et ſcimus, quantum ſeniles rugae

gae optimas, et pulcherrimas quasque facies deforment. Mirari itaque subit, quomodo Abraham metuere potuerit, ne propter uxoris, t. t. plus quam sexagenariae, pulcritudinem ab ambientibus periculum ipsi immineret? Non satisfaciunt quaestioni, qui coniectant, Saram, non tam elegantia formae excelluisse, quam matronam, raris virtutibus praeditam, fuisse, indeque respondent, eandem soli Abrahamo pulcram extitisse; hunc enim more amantium, qui hac in re saepe falluntur, etiam in eo falsum esse perhibent, quod Saram, etiamsi deformem, et vetulam, pro pulcra tamen reputaret. Novimus enim, non solius Abrahami, sed et aliorum oculis eandem placuisse, quod ex *Gen. XII. 14.* constat. Neque, qui cum Iudaeis fabulatoribus sentiunt, qui Saram conclusam in arcam, et a telonariis inventam, et adductam ad regem esse, somniant, quae recte inerudita, et Iudaeis autoribus digna, cum *B. Luthero C. in G.* pronunciamus. Nec denique, qui formam Sarai, non nisi comparate ad Ægyptios, tribuunt, quos fuscos, et fere deformes, proinde in exoticas formas, et candidiora orientalium corpora, magis intentos esse, asserunt. Sarai enim non Ægyptiis tantum, sed et postea Palaestinis pulcra fuit, quam ob caussam ab Abimelecho iterum rapta fuisse *Cap. XX.* legitur. Et scimus, aetatis longe maiorem, quam formae, commendationem esse; illam enim probari novimus, etiamsi forma minus probata sit. Caussas itaque alias huius pulcritudinis, hasque potissimum, allegare liceat, ita, ut dicamus (1) vigorem corporis, sicut hodie, ita tunc quoque formam Sarai sustinuisse. Dubium enim non est, quin eo tempore natura fuerit vivacior, atque robustior, viresque

que non adeo fractae, et debilitatae, quam nunc, in ipso quasi senio mundi, sunt: Sicut enim paulatim accrevit malitia, ita et dona ista, quibus DEVS ornat pios, decreverunt. Fieri itaque optime potuit, ut tum sexagenaria foemina, et forma, et vigore, aequaret eam, quae hodie est triginta annorum. (2) Adiutam praeterea dicamus Sarai ab natura, ut formae decor, etiam in aetate devergente, integer maneret. Sterilem enim, nec tum frequenti liberorum gestatione, et lactatione, tum doloribus, et laboribus partus, debilitatam, ac exhaustam fuisse, compertum habemus. Servare itaque eo facilius formam integram, totumque corporis habitum, eorumque proinde opinionem in aetate declivi fallere potuit, quibus eiusdem aetas non adeo cognita fuit: Respondent alii, praestantem formam in Vetula Sara fuisse miraculum, et singulare DEI donum, qui eam in ipsa senectute matrem Isaaci destinaverat, et interea regem Aegypti Abrahae conciliare volebat, ut hac occasione etiam inter gentes promissio de futuro semine innotesceret. Addit denique *Rivet. loc.* supra *cit.* esse quandam venustatem, quae pulcritudinis partem faciat non minimam, quae aetate, et senio non tollatur, quaeque aliquando magis afficiat, quam decus illud ex coloribus, lineisque congruentibus conflatum, quae omnia tunc adhuc in Sarai concurrisse, existimat. *Conf. Hunn. Tom. III. Opp. Lat. p. 1530. et Gerh. Comm. in G.*

§. XII.

De forma itaque Sarai vetulae cum satis constet, factum, et conventionem coniugum ipsam examinare, et inprimis quaerere h. l. liceat: an deliquerit in eo uter-

uterque, quod Abrahamus suaserit uxori, ut mendacium proferret, petendo ab ea, ut se sororem eius, non uxorem, profiteretur. Sarai vero in consilium et pactum hoc consenserit? Disputant de hoc mendacio inter se *Hieronymus* et *Augustinus*, hic quidem triplex faciendo mendacium, *iocosum*, *officiosum*, et *pernitiosum*, quod discrimen, etsi non satis proprium, propter Patrum reverentiam tamen retinendum esse, existimat *Lutherus C. in G. Cap. XII.* statuitque, mendacium Abrahami fortasse excusari, et officiosum, proinde dignam laude providentiam appellari posse, vel ideo, quandoquidem per illud, neque Abimelech, vel Pharao, in suam perniciem, nec commodum ipsius Abrahami falsus fuerit; hoc enim peccatum ab Abrahami consilio absfuisse, qui, quantum potuerit, prudentia gubernarit fortunam suam inclementem. Alibi tamen *Tom. I. Isleb. p. 284.* peccasse Abrahamum mendacio, affirmat: Abraham thät auch eine solche Lügen/ da er sein Weib für dem König Abimelech nennet seine Schwester. Darauf soll man antworten/ daß/ ob die Christen wohl den heil. Geist haben/ so haben sie doch auch noch Fleisch und Blut an ihnen / so hengen und kleben an ihnen auch noch viel Sünde und Gebrechen/ darum sie immerdar beten müssen: Herr vergieb uns unsre Schuld. Und ob die heiligen Gottes unterweilen zu viel/ oder zu wenig thun/ so gehets doch mit dem Hauffen / und Menge der Vergebung der Sünden hinweg / und gehöret unter den Himmel der Gnaden / das ist / unter die Vergebung der Sünden. Et in *Comm. ad Cap. XIX. Gen.* ingenue fatetur, Abrahamum mentitum fuisse,

uxorem-

uxoremque, ut mentiretur, docuisse, quae tamen peccata in Sanctis venialia pronunciat.

§. XIII.

Ex *Riveto Exercit. 73. in Gen.* discimus, quod ipse Abrahamum nullius mendacii reum pronunciet, eo quod ab uxore non exegerit, ut interrogantibus, num uxor ipsius esset? se esse negaret; noluisse quidem, ut veritatem Sara profiteretur, sed tamen, ut aliquid contra veritatem diceret, non suasisse. Proinde in verbis Abrahami, non veritatis abnegationem, aut falsi affirmationem, utut eiusdem veritatis, quam nocituram sibi putavit, utpote in tempore, et loco licitam, dissimulationem, atque occultationem deprehendi, existimat. *Certum est*, inquit, *Abrahamum noluisse, ut Sara profiteretur omnem veritatem, sed tamen, quantum quidem e verbis possumus colligere, non suasit, ut aliquid contra veritatem diceret. Quod verum erat, dixit, se esse Abrahami sororem; quod etiam verum erat, tacuit, se esse Abrahami uxorem. Quod si Abrahamus exegisset ab ea, ut interrogantibus, num uxor ipsius esset? negaret se esse, tum certe excusari non posset a mendacio. Proinde in verbis Abrahami est quidem veritatis, quam sibi nocituram putavit, dissimulatio, sed non est veritatis abnegatio, aut falsi affirmatio. Talem autem dissimulationem in tempore, et loco licitam esse, nemo est Theologorum, qui neget, nec qui putet, quemlibet ubique teneri omnia propalare, quae ad se spectant, aut conditionem suam profiteri.*

§. XIV.

Nos ut in ferendo hac de re iudicio feliciter pedem promovere queamus, de eo operae pretium existimamus disquisivisse, an Abrahamus uxori suaserit mendacium, cum petit, ut diceret: fratrem esse, se-

que, esse illius sororem? Id saltem negasse Abrahamus videtur apud Abimelechum *Gen. XX. 12.* cum enim ab eodem interrogaretur, cur eum fefellerit? respondit, Saram et vere sororem suam esse, filiam patris sui, non vero filiam matris suae, quam duxerit in uxorem. Quaestio itaque de eo nunc erit: utrum haec verba proprie, et ut sonant, accipienda sint, ita ut Sara vere fuerit Abrahami soror ὁμοπάτρις, h. e. ex eodem Patre, non vero ex eadem matre genita? quod volunt quamplurimi, et sigillatim *Caiet.* ap. *Rivet. l. c.* An vero fuerit privigna Haran, et post huius mortem in domum Thare translata, ibique educata, atque hinc eius filia, et Abrahami soror appellata? quae sententia est *Lutheri in C. ad Cap. XX. Gen.* quorsum et respicit *Chrysostomus Comm. in S.* Vel an fuerit eius privigna, vel alio aliquo modo soror Abrahami? quod ipsum, si concedatur a nobis, Abrahamus facile a suspicione insimulati mendacii poterit liberari.

§. XV.

Tam variantes vero hic deprehendimus autores, ut vix appareat, in cuius vestigio pedem figere debeamus. Sunt enim, qui putant, Abrahamum, quod ipse fatetur, non quidem uterinam, propriam tamen, et ex eodem patre prognatam, sororem, duxisse in matrimonium, quibus ab aliis obiicitur locus *Levit XII. 11.* in quo filia patris dicitur esse in gradu consangvinitatis prohibito, ut adeo credendum hactenus non sit, Abrahamum pium, et fidelem, cum uxorem duxit, voluisse incestis nuptiis implicari. Sunt denuo qui Sarai, non ratione generationis, sed vel affinitatis, vel adoptionis, filiam Therah pronunciant, a quo tanquam Harani privigna fuerit adopta-

ta;

ta; quo ipso omnis quidem difficultas, et disputatio praescinderetur, si ex Scripturis haec sententia demonstrari posset. Sunt denique, qui ad varias illas Catachreses, quas vocabulum Soror aeque ac Frater habet, et recensitas vide ex *Hieronymo* ap. *Flac. in Clav. Scr. in Voc. Frater*, se recipiunt, existimantes, Sarai fuisse Abrahami sororem, h. e. ex eodem sangvine, etsi non immediate, progenitam, quia, ut putant, fuerit Lothi soror, et Haranis filia. Fuisse igitur sororem ex eodem Patre, aut Patris Abrahami filiam, vel, quia Thareh ipsi auus erat; notum autem esse, avos etiam simpliciter Patres nepotum appellari; vel, quia Patre ante auum defuncto, ipsi fuerit auus loco patris etc. *conf. Rivet. l. c.*

§. XVI.

Id nobis textui convenientissimum videtur ut asseramus, Saram sororem Abrahami veram, non tamen uterinam, extitisse; a proprietate enim verborum hic recedere velle, nobis religio est. Dum enim aperte profitetur Abrahamus, Saram sororem suam esse, filiam patris sui, non matris suae, quid quaeso clarius hactenus pronunciari poterat, quam, Saram filiam patris sui, non autem avi, aut fratris sui esse? Neque est, quod *Bellarminus Lib. de Matrim. Cap. XXVIII.* urgeat, coniugium tale cum sorore initum illicitum esse, *Si Abraham*, inquit, *et Nachor accepissent germanas sorores, id fecissent, quia illo tempore per mores illarum gentium id licuisset. At si tunc, et per legem naturae, et per mores gentis, licuisset tale coniugium inire, nihil profuisset Abrahae dicere, Soror mea est, id enim dixit ad tegendum coniugium Gen. XII. 20. Oportet igitur fateri, homines illorum locorum ita horruisse coniugium cum propria sorore,*

ut, audito nomine ſororis, ſtatim crederent, eam non fuisſe uxorem. Denique quis credat, Abrahamum ſine ulla neceſſitate duxiſſe propriam ſororem, cum propter hoc crimen DEVS iuſſerit Levit XX. 17. utrumque coniugum ſimul necari? Novimus enim, quod quidem matrimonium tale cum ſorore agnata i. e. ex eodem patre, ſed non ex eadem matre, quam ἀδελφὴν ὁμοπάτριον, Stiefſchweſter appellamus, poſtea *Levit. XIIX.* fuerit prohibitum; recurrendum tamen nobis hic exiſtimamus ad divinam diſpenſationem, ex poſt facto ſecutam, quam ex eo colligimus, quod Abraham non minus, quam filius Iſaacus, et nepos Iacobus, non ex filiabus Chanaan, ſed ex cognatione ſua uxorem ducere debuerit *Gen. XXIV. 3. et Cap. XXVIII. 2.* Ex qua ſpeciali diſpenſatione generalis regula, de non ducenda ſorore, nequaquam evertitur, nec Iuris divini prohibitio labefactatur. Idem dicimus de Davidis cum Bathſeba coniugio, quod, etſi initio legitime non fuerit contractum, interim tamen, poſt actam a Davide legitimam poenitentiam, divinitus fuit approbatum, ita, ut ex eo natus ſit Salomon, per quem Chriſti Genealogiam deducit *Matthaeus Cap. I. 7.* Nec ullius momenti eſt, quod excipit *Bellarm. l. c. Cap. XXVII. §. Ex quo falſum etc. Quis credat ex illegitimo, et inceſto coniugio voluiſſe DEVM excitare heredem Abrahae, ex quo Mesſias naſciturus erat?* Num enim excidit ipſi inceſtus concubitus Iudae cum nuru ſua Thamar, ex quo natus eſt Phares, quem conſtat inter progenitores Chriſti numerari? *Gen. XXVIII. 16. Mat. I. 3.* notum enim eſt, quod in Genealogia Salvatoris eae aſſumantur mulieres, quas Scriptura reprehendit, ut, qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens, omnium pec-

cata

cata deleret, quod recte iudicat *Hieron. ad Cap. I. Math.* Permissum itaque a DEO Abrahamo fuisse putamus, ut ipse, quoniam cum alienigenis se coniungere non debebat, e cognatione sua uxorem duceret, quamvis in eo gradu, qui alias, extra casum necessitatis, et divinam dispensationem, non liceret. Respondent alii, leges illas *Levit. XVIII. et XX.* de prohibitis matrimonii gradibus extantes, tunc temporis nondum fuisse latas, potuisse itaque utrumque coniugum hanc prohibitionem ignorare, quomodo manifestum sit ignorasse in Polygamia, maxime vero, cum uterque fuisset idololatra: Nam Abrahamus Saram duxit, antequam exiret ex patria. *conf. Gerhard. Tom. VII. LL. CC. Loc. 28. 7. de Coniug. p. 314. et Cham. Tom. III. Panstr. L. 18. C. 9. n. 15. et 33.*

§. XVII.

Tutiorem hac, quam hactenus asservimus, sententiam eorum esse, iudicat *Rivet l. c.* qui censent, Sarai fuisse neptem Abrahami ex fratre, eandem, quae *Iischa* nominatur, ideoque sororem eo sensu, quo fratrum, et sororum nomine in genere censentur, qui sanguine sunt proximi, quo etiam Christo in Evangelio assignantur, appellari. Quemadmodum enim Nachor duxerit uxorem fratris filiam, sic idem fecisse Abrahamum, et maxime probabile putat, eam fuisse sororem Melchae fratris uxoris, eandem, quae vocata est *Iischa:* Argumento id prae ceteris esse existimat, quod cum historia sacra dixisset, Abraham et Nachor duxisse uxores, uxorem Abrahae fuisse Sarai, uxorem Nachor fuisse Melcham, filiam Haranis, addat: *Patris Melchae, et patris Iischae, et Sarai erat sterilis.* Vbi nullam monet apparere rationem, cur post mentionem duarum uxo-

orum, duorum istorum fratrum, additum fuerit nomen duarum filiarum Haranis, quarum una nupserat Nachoro, nisi ambae illae sorores duobus fratribus coniunctae fuissent. Quam vero rationem non valere putamus, eo quod non nisi aliqua coniectura ex Scripturis extorta, innitatur. Ex eo enim, quod additur, *Patris Melchae, et Patris Iischae*, nullus alius, quam is, exsculpi potest sensus, Haranem fuisse patrem Melchae, et sororis eius *Iischae*, adeoque duas filias habuisse, quarum alteram duxerit Nachor, *conf. Katabl. in Annot. ad h. l. p. 25. et Iun. in not. ad eund. loc. p. 20.* Nulla vero apparet ratio, et caussa, cur alteram, scilicet *Iischam*, obtrudere velit Abrahamo *Rivetus*; nec enim, ex verbis illis, quae dicit immediate subiici: *Et Sarai erat sterilis*, id confici posse, putamus, Sarai, et *Iischam* pro una eademque filia Haranis habendam esse. Non enim legimus unquam postea, ubi agitur de Sara, *Iischae* huius fieri mentionem; et si, quod probabile esse iudicat *Rivetus*, ea sic fuit vocata, antequam nuberet Abrahamo, ubi nomen Sarai tanquam Dominae ipsi inditum fuisse somniat, sequeretur sane, Melcham, uxorem Nahoris, fratris Abrahami, etiam aliud sortitam nomen fuisse, cum nuberet Nahori, de quo utroque in Scriptura μηδέμια κεραία extat. Et quamuis silentium Scripturae, quae nunquam postea *Iischae* mentionem iniiciat, sententiae suae patrocinari existimet *Rivetus*, eo quod semel obiter mulieris, alioquin incognitae, meminisset Moses, eiusque patrem designasset, quod, nisi Sarai per eam denotetur, frustra, et in gratiam nullius factum fuisset; vix tamen eo adduci quemquam posse, putamus, ut credat, voluisse Mosen nomen Sarai sub nomine

Iischae

Iischae occultare, cum nulla appareat ratio, quo minus *Iischa*, utut non adeo frequenter in Scripturis memorata, pro filia quadam Haranis, ab ipsa Sarai distincta, habeatur. Nec ignorare quis potest, plurium mulierum subinde in Scripturis mentionem fieri, quarum nomina a nobis ignorari aequa mente possent, nisi summa Numinis divini sapientia eadem sapienti consilio Codici Biblico inserta voluisset, quem una cum iisdem religiosissime veneramur. Quod ultimo loco urget *Rivetus*, si Sarai fuisset immediate filia Thareh, cum longe maior sit necessitudo patris, et filiae, quam soceri, et nurus, non appellasse Mosen Saram nurum Thareh, sed potius filiam eius, cum dixit *Cap. XI. 31. Deinde sumsit Therach Abrahamum, filium suum, et Lothum, filium Haranis, filium filii sui, et Sarai nurum suam, uxorem Abrahami filii sui*, illud nos non ferit, quandoquidem, si Sara filia Harani, et cum *Iischa*, sorore Melchae, una eademque fuisset, id procul dubio dixisset Moses, aeque, ac pronunciauit, Lothum esse filium filii Thareh, nempe Haranis. Vt taceamus, quod, quia Sara Abrahamo iam coniuncta erat, pro more, hodienum usitato, rectius nurus, quam filia Thareh, appellata fuerit, cum in familiam Abrahami iam transiisset, quae tamen denominatio necessitudinem patris, et filiae, quam illa soceri, et nurus maiorem esse, lubentes concedimus, nequaquam tollit.

§. XVIII.

De Sarai itaque hactenus dubium non est, quin propria, licet non uterina, Abrahami soror fuerit, id quod ipse Abrahamus confitetur, et a nobis fundamenti loco supersterni debuit narrationi sequenti, de utri-

usque

usque coniugis pacto, et conventione. Mirari autem nunc aliquis poterat, quo iure pientissimum Patriarcham alicuius mendacii insimulemus, qui tamen, quantum ex verbis possumus colligere, non suasit uxori, ut aliquid contra veritatem diceret, neque ab eadem exegit, ut interrogantibus, num uxor ipsius esset, negaret se esse, aut falsum affirmaret, quod si fecisset, a mendacio nullatenus excusari posset; sed prudentiorem hactenus in eo se exhibuisse videtur, quod veritatem, quam nocituram sibi putabat, dissimulavit, id quod in tempore, et loco licitum esse, nemini ignotum esse potest. Quare, ut dicamus, quod res est, negari nostro iudicio nulla ratione potest, Abrahamum aequivocationi favisse, uxoremque suam in mendacium induxisse. Res tota ex animo, et intentione Abrahami aestimanda venit, quae nulla alia fuit, quam ut regi fidem faceret, Saram non esse uxorem, sed sororem suam. Quaesiturum enim regem suspicabatur de tali foemina, quam ipse sine peccato ducere posset, qualis non erat Soror in generali sensu, quo etiam uxor esse poterat. Licet itaque non legatur negasse, Saram esse uxorem, (quod urget tantopere *Rivetus*) verba enim quod verum erat, exterius significabant; certum tamen est, eundem iuste percontanti aequivoce respondisse, et opinionem per se fallacem animo iniecisse, quod recte iudicat *Dannhauer Colleg. Decal. Disp. VI. Quaest. I. p. 455.* Hinc et verba eius aequivoca fuisse, alioque sensu, si de eo, quod tamen subodorari non poterat Abrahamus, praecise interrogatus fuisset, accipi potuisse, ipsemet *Rivetus* non diffitetur. Eo autem iure divino adstrictus erat, ne daret falsum testimonium, h. e. ne aequivocatione

catione uteretur, ad proximum fallendum, qua tamen Ægypti rex deceptus fuisse, legitur, quo de etiam *Cap. XII. 18.* maxime conqueritur. Addo, quod et ipse Abrahamus postea convictus fateatur, se parum bona fide egisse, quod, dissimulato uxoris vocabulo, sororem suam appellari iusserit, idque eo consilio, ut suum cum eadem coniugium lateret regionum earum incolas, apud quas peregrinabatur, *cogitavi*, inquit, *mecum, dicens, forsitan non est timor DEI in illo loco; et interficient me propter uxorem meam; alias et vere soror mea est, filia patris mei, et non filia matris meae.* Omnino itaque peccasse censendus est Abrahamus, et quidem iterato, satisque graviter, imo, quod vult *Stegmann in Anti Phot. Disp. XLII. Qv. II. ad I. p. 485.* mortaliter, dum contra mandatum Domini falsum perhibuit de Sarai uxore testimonium, eamque sororem suam mentitus est. Neque vero Homonymia vocabuli sororis eum potuit excusare; bis enim peccat, qui mendacium, sub veri specie, alteri studiose obiicit. De eo ipso rogabatur, an Sara esset uxor, ideo noverat, responsum eius, quod sit soror, ab interrogantibus sic accipi, quod non sit uxor. Mirari itaque subit, cur *Rivetus* Abrahamum a mendacio commisso liberum prorsus pronunciare audeat, qui tamen partim ex nocendi, decipiendive cupiditate, partim ex ingenii vanitate citra probabilem, honestamque caussam, contra conscientiam, legitur falsum protulisse, quae omnia pro veris mendacii notis haberi commode possunt. Neque Abrahamus ideo mendacii labem effugere potest, quod veritatem, Saram scilicet uxorem esse, negasse, expresse non legatur; suffi-

çit tamen, quod eandem pro uxore sua, qualis tamen tunc erat, ab ipso rege, quem ex maxime deliberato consilio fefellit, haberi noluerit. Et quamvis postea excuset, se non mentitum esse, nec aliud finxisse, quam res habebat, id tamen praecipue intendisse, constat, ut mendacium specie veri obiiceret regi, non praecipitanter mentiendo, sed meditando mendacium, quod ipsum peccati gravitatem auget. Tantum itaque abest, ut hoc prudentiae alicuius exercitium cum *Riveto* appellemus, ut potius cum *Gerbardo Com. in h. l.* hoc ipsum consilium ex prudentia carnalii profectum, et simulationi huic, ad quam inducit Saram Abrahamus, aliquid mendacii admixtum esse, asseramus, id quod vel ideo affirmandum esse videtur, quandoquidem alias, quod etiam praevidit facile *Rivetus*, ab exemplo Abrahami Apologia pro aequivocationibus Scholasticorum, et Jesuitarum, eorundemque reservationibus, quas mentales vocant, quasque ex ipsis nonnulli non solum mendacii, et periurii, item rebellionis, et proditionis, sed etiam abnegatae religionis, et Atheismi accusant, mutuo accipi facile posset, quibus semel admissis, ad omnem perfidiam, et in Politia, et in religione, portam patere, ipse *Rivetus*. pronunciat. Summa itaque urgendorum haec est: quod ipse Abrahamus, cum petit, ut Sarai se sororem eius profiteretur, voluerit, ut inde inferrent Aegyptii, ipsam non maritatam, sed solutam esse. Cum autem id voluerit celare Aegyptios, sequitur, voluisse eos censere, Saram esse liberam, atque ita posse ab alio ambiri, atque duci, sine crimine adulterii, in spem vero adduci, vel regem, vel ex

magna-

magnatibus aliquem, se ea, sine discrimine, saltim atroci, potiri posse.

§. XIX.

Quid si porro nunc affirmemus, consilium Abrahami ex praepostero vitae amittendae metu profectum esse, proinde excusari sanctissimum virum in eo vix posse, quod de Aegyptiis, nondum notis, sic male fuerit suspicatus. Fieri quidem potuit, ut Aegyptus esset infamis apud vicinos, propter tyrannidem; habebat enim potentissimum regem: Vbi autem magistratus verbo DEI non gubernatur, fere ad tyrannidem abutitur potentia. Haec igitur tentare animum Abrahami potuerunt, ut sibi metueret, et de periculi ratione, vel corrigendo, vel vitando, cogitaret. Sed quaeritur, an iustum, et prudens fuerit, ita consulere vitae suae, ut non modo uxoris pudicitiam in discrimen vocaret, verum de Aegyptiis etiam male suspicaretur? Quia enim omnis suspiciosus detrectator est in corde suo, facile apparet, Abrahamum hac suspicione detraxisse regi, detraxisse toti Aegyptiorum nationi. Hos enim statuit esse Tyrannos, libidini deditos, et ad caedes perpetrandas maxime paratos; quam praesumtionem inhumanam esse, in aliqua civitate nullum esse pietatis, et iustitiae respectum, antequam eius extiterit documentum, observat *Grot. de Iur. B. et P. Lib. III. Cap. I. §. 7.* Inde adeo mirum quantum Aegyptiis detraxit Abrahamus, quod ipsum novimus peccatum magnum, imo iuxta Apostolum *1. Tim. VI. 4.* capitale esse. Constituit enim se iudicem Abrahamus super Aegyptios, illosque damnat, quod Serva-

toris monito contrariatur, qui iubet, ne quenquam iudicemus, aut damnemus, ſed a malignis, ſiniſtrisque iudiciis abſtineamus. Infirmitate itaque hic lapſum eſſe, ſibique timuiſſe Abrahamum, *Lutherus Com. in Gen. XIX.* iudicat, qui quidem miſera illa Sodomitarum ruina ſic excruciatus erat, ut etiam tuta timere cogeretur, non tamen propterea excuſari prorſus poſſe videtur, ſed in maſſam peccatricem includendus, et, quod multis quotidie ſanctis contingere videmus, raptus occaſione fuiſſe, cenſendus eſt. Certe cum caritas non ſit ſuſpicax, videtur inique feciſſe, Aegyptiisque iniurius fuiſſe, quod non modo, tanquam profanos DEI contemtores, libidinis eos inſimulet, ſed etiam ſuſpectos habeat homicidii, a quibus tamen nondum laeſus erat.

§. XX.

Praepoſtera haec animi anxietas, ſuſpicioque fecit, ut alio ſe vitio implicaret Abrahamus, infidelitate nempe, et diffidentia in DEVM, a quo ne quidem ſine ſuo mendacio, in terra aliena ſe cuſtodiri poſſe, putat. Acceperat enim Abrahamus largiſſimam DEI promiſſionem: *Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi.* Hanc benedictionem datam animo ſuo radicitus infixam tenere, firmaque cordis fiducia amplecti, nihil ex carnis prudentia ſuſcipere, ſed euentum DEO committere debuiſſet. Sed quaeſo quantum a verbo DEI ſenſus ſuos deflectat, quando vitae ſuae tantopere metuit, ut eius periculum alio maiori effugere conetur. Non deſunt quidem, qui S. Patriarcham excuſatum eunt, dicendo, eundem,

eundem, non privato carnis affectu, vitam suam aestimasse, sed, cum effectum divinae vocationis euanescere in morte sua nollet, tanta servandae vitae suae cura tactum fuisse, ut reliqua omnia posthabuerit. Cum enim in se reputarit inclusam esse spem salutis, se fontem esse Ecclesiae DEI, frustra, nisi vivat, sibi, et suo semini, promissam esse benedictionem, laudem hactenus in eo mereri existimant S. virum, quod recto vivendi fine vitam quovis pretio redimere, fuerit paratus. Praecipue vero *B. Lutherum* in eo totum deprehendimus, qui, Abrahamum non peccasse, nec labasse fidem eius, statuit, sed hoc ipsum consilium ex fide firmissima, et ex Spiritu S. fuisse profectum, iudicat: *Abraham*, inquit, *plenus fide, etsi pericula varia videt, tamen in solam promissionem respicit, Hanc scit sibi, et suo semini factam, et ut sic dicam, in suo corpore positam. Etsi igitur statuit, DEVM facturum, quod promisit; etiamsi in Aegypto occidatur; tamen sentit, DEVM non tentandum; Quaerit igitur media omnia salutis, s. vitae defendendae, quasi dicat: Non defugio mortem huius corporis, si Domino sic videbitur, et tamen promissio non est per incuriam negligenda*, die soll nicht verwahrloset werden. *Si possum eam obtinere cum vita, bene est: Sin vita profundenda erit in impia hac gente, Dominus, qui promissionem benedictionis dedit, etiam mortuum me facile excitare poterit. Sed non ideo aliqua salutis via negligenda est. Igitur mea Sara, ne dicas, me esse maritum tuum: Dic, esse fratrem, ita vivam tuo beneficio, tu autem ne dubita, senties Domini auxilium, ne quid patiaris indignum te, et ego quoque, quantum potero, ea in re te adiuvabo apud DEVM verum precibus, qui se promisit clementem*

mentem fore etc. In eadem ſententia eſt *Calvin Com. in G. p. 142.* Quicquid tamen huius rei ſit, excuſabilis plane S. vir non eſſe videtur: Si enim de vita ſua, in qua videbat ſitas eſſe promisſiones divinas de benedicto ſemine, ſolicitus erat, quod iure licuit, ſaltem debuit ſuam curam reiicere in DEVM, cui non minus facile fuiſſet, ſi una cum uxore Sarai, quod res erat, dixiſſet, eſſe inter ſe vinculum matrimonii, eundem ſervare a morte, et efficere, ne uxor, quamvis pulcherrima, ab aliquo expeteretur. Vel cum ipſe non metueret vitae ſuae, niſi propter uxorem, quid obſtat, quo minus petere a DEO potuiſſet, ut hominum oculos a pulcritudine Sarai concupiſcenda averteret, tum enim cauſſa ſublata, effectus etiam ſublatus fuiſſet. Atque ita unica petitione, et uno fidei in DEVM actu, utrique metui praecurriſſet. Neque eſt, quod exinde inferat *Auguſtinus* Abrahamum ſi vitam temere profundere, eandemque manifeſto exponere periculo voluiſſet, DEVM tentaſſe, quando vitae ſuae, quantum potuit homo, non conſuluiſſet: hoc enim pertinere ad ſanam doctrinam, ut quando habet, quod faciat, homo, non tentet Dominum DEVM ſuum. Namque nullam deprehendimus tentationem, ſi Abrahamus, qui necesſitate famis in Aegyptum, fertilitate celebrem, pulſus erat, hac fiducia, et ſpe ſe erexiſſet, DEVM, qui ipſi fuerat autor migrandi, per necesſitatem impoſitam, et quem hactenus habuerat ductorem, non permiſſurum, ut, vel uxoris cauſſa, vel ulla alia, vita ipſius periclitaretur, cuius poſteritati nondum notae promiſerat terrae Canaan poſſesſionem. Quanquam

itaque

itaque ſcriptura Abrahamum nobis alias proponat tanquam patrem credentem, et perfectum fidei Exemplar; fides tamen eius aliquantulum hic laboraſſe videtur: de promisſione enim DEI, quod conſervaturus, et adiuturus ſit in periculo, dubitat, verbum, quod dictum ipſi erat: *In te benedicentur omnes familiae terrae*, ex oculis, et animo dimittit, et, rationi indulgens, de periculis, quae imminebant ipſi, cogitat. Pronunciare igitur poſſumus, vacillaſſe Abrahamum, eiusque fidem in tanta periculorum multitudine aliquantulum ceſſiſſe, et, uno verbo, particularem lapſum hic negandum non eſſe, quod ad mortem propinquam trepidans diſcriminis eventum non commiſerit DEO, ne uxoris pudicitiam male proderet. Et ſi demus etiam, Abrahamum attendiſſe ad divinitus ſibi factam promisſionem, quae tantam ſolicitudinem, ac curam ſervandae vitae apud ipſum excitarit, ut omnia potius, quam vitam ſuam exponere periculo maluerit; ea tamen in parte reprehenſione dignus eſt, quod DEI auxilium patienter non expectans, ad obliquam, illicitamque rationem deflectat. Inde et *Caietanus* ſcribens in h. l. praecipuam difficultatem in hac conventione coniugum eam eſſe, animadvertit, quod conventio talis ordinabatur ad finem illicitum, videlicet coniugium Sarai cum alio viro. Non obſtat quidem, fateor, divina providentia, quo minus ſibi proſpiciant fideles, ita tamen, ut ne praefixas ſibi metas tranſiliant, et ab verbo eius per incogitantiam, captandis illicitis mediis, deflectant. Hinc *Hieronym. in Tradit. Ebr. in Gen.* factum hoc *foedam neceſſitatem* appellat, docet-

docetque, rectum fuisse Abrahami finem in conservatione vitae suae, in qua videbat, sitas esse promissiones divinas de benedicto semine; sed in ipsa via aberrasse, ut saepe nobis contingit, etiam cum ad DEVM tendimus, tamen ab ejus verbo per incogitantiam, captandis illicitis mediis, deflectere. Id vero praesertim usu venire in rebus perplexis, quia, dum exitus nullus apparet, facile in varios circuitus abducamur. Quare *Lutherus* ipse, qui alias in mitiorem sententiam pronunciat, et hunc locum ita tractat, ut Abrahamum hic magnitudinem fidei suae magis ostendisse, quam aut peccasse, aut fide in tentatione succubuisse, statuat, ita tandem concludit: *Quare non excusabimus penitus Abrahamum, sed includemus ipsum quoque in massam peccatricem, sed tamen talem, quae, licet impia non sit, tamen habet in se reliquias peccati. Talia peccata quotidie multa sancti faciunt, nam rapiuntur ipsi quoque occasionibus.*

§. XXI.

In eo praeterea Abrahamus minus excusabilis esse videtur, quod uxoris pudicitiam, et fidem coniugalem periculo exponat, quin et ipsam in peccati societatem pertrahat. Hanc enim non modo mentiri, et fallere docet, verum etiam in extremum adulterii periculum perducit, ut, nisi divinitus, adeoque miraculose fuisset prohibitus rex Gerar, matrimonium secundarium, pro more illorum temporum, cum Sara certo certius iniisset. Quod enim existimat *Caietanus*, Abrahamum aeque ac Saram non destitutos fuisse firmissima in DEVM fiducia, quod pro-

prohiberet malum, antequam novum coniugium iniretur, de eo nondum satis constare videtur, unde illis talis fiducia, quam in facto speciali, sine speciali promissione revelata, non certam esse potuisse, supra asseruimus. Quamvis enim Abrahamus, quod aliqui respondent, Propheta fuisse dicatur, adeoque praevidere facile potuerit, fore, ut affligerentur, quicunque sibi, aut uxori iniuriam fecissent, aut facere vellent, eiusque pudicitiam tentare, quodque ea occasio futura esset iustitiae divinae cognoscendae, et timoris Domini in ea regione propagandi; recte tamen observat *Rivetus*, quod Prophetae non omnia futura intelligant, nec omnia prophetice faciant. Hoc itaque magno vitio non caruit, quod familiam, substantiam, tandem, quod maximum, uxorem quoque, periculo adulterii exponit, et hoc ipso ad adulterium Aegyptios invitat, qui fortasse sibi temperaturi erant a maritata: nunc, cum liberam audiunt, sine peccato eam rapi, et, ob dissimulatum coniugium, nulla opposita difficultate, ex parte mariti, ambiri posse, putant. Quodsi vero quis affirmare velit, Abrahamum, ut vitam suam redimat, uxorem periculo exposuisse, et hactenus in eo non peccasse; sciendum tamen est, licitum nullo modo esse adulterii remedium, vel marito, vel uxori, vitandae alterutrius necis causa, quin potius mortem expectare, vitamque deponere convenit, quam ut eam nobis, aut aliis servemus, id facientes, ex quo DEVS offenderetur. Vitae nostrae, quantum fieri potest, consulere, eandemque non temere profundere possumus, et debemus, ita, ut non omitta-

mus, quod in nobis est, si qua reperiatur honesta elabendi via; non tamen exinde aliud oriri debet malum, quod hactenus in hoc Abrahami facto manifesto deprehenditur, siquidem ex isto, quem quaerebat, praecavendi, vitamque conservandi, modo, periculum illud infamiae uxoris oriebatur. Centies itaque mortem pius Vir expetere debuisset, quam uxoris suae famam ita proiicere, et eius, quam unice amabat, coniugio privari. Plurimorum enim hoc ipso scandalorum autor fuit, cum non omnes hoc consilium intellexerunt, sed in certum periculum adduci coniugem viderunt, quod certe cum Pauli regula non convenit, qui praecipit, diligendas uxores esse, sicut nostra corpora diligimus. *Anne ergo vel parva, vel pauca peccata sunt, quae hic occurrunt? quaerit Stegmann. l. supra cit.*

§. XXII.

Ex poena vero Pharaoni, Aegyptiorum regi, a divino Numine propter Saram, marito suo abductam, inflicta, haut obscurum nobis denuo subnascitur argumentum, cur Abrahamum animadversione quadam dignum pronunciemus. Cum enim S. Patriarcha, propriis consiliis confisus, de periculo uxoris non cogitasset, factum est, ut Sarai a principibus Pharaonis visa, ipsique ex pulcritudine, ac forma regia laudata, in domum regis perduceretur, ipseque propterea, una cum domu sua, a DEO vehementur affligeretur. Vbi quidem DEVS videri poterat iniuste afflixisse, tum Pharaonem ob Sarai, cum videatur innocens, quippe qui, nesciens eam alteri nuptam, legiti-

legitimum eius connubium appetebat; tum eius domum, quae multo magis extra culpam esse videbatur. Sed si probe omnia expendamus, factum regis omni ex parte excusari non potest. Cum enim peccatum istud sit, adspicere etiam alterius uxorem, ad concupiscendam eam; is sane multo magis peccare censendus est, qui illam, quae alterius est, ducere sibi non dubitat. Quod autem nescit Pharao, Saram non liberam, sed maritatam esse, id illum non a toto, sed a tanto duntaxat excusare potest, cuius cupiditas nihilominus in personam illicitam, et inconcessam ferebatur. Hinc et infra Cap. XX. 3. DEVS Abimelecho legitur minatus fuisse mortem, qui, aeque ac Pharao, non ex proposito, sed ignorantia deliquerat; quia, siquis ex ignorantia ducat eam, quae est uxor alterius, is certe adulterium committit, quanquam peccatum, ex tali probabili ignorantia commissum, non est coram DEO tam enorme, ut quod ex proposito designatur, atque sic ignorantia a tanto, non autem a toto excusat, *conf. Hunn. Tom. III. Opp. Lat. p. 1592.* Cumque praeterea pluribus iam tunc uxoribus rex abundaret, et, quod leuitatis erat, sola pulcritudinis consideratione ductus, ad Sarai, mulierem ignotam, ac alienigenam, et non nisi alieno iudicio sibi indicatam, animum statim adiiceret, eamque consortem thori deligere vellet, vel ideo poenas divinas haut immerito incurrisse videtur. Accedit, quod et ipse fuerit profanus, et peccatis aliis poenam, plagamque DEI iam ante meritus esset. DEVS itaque occasione hac arrepta, simul in priora eius peccata animadvertit, quemadmodum et in ipsius do-

 mumum

um seu familiam vindicandi caussas iustas, et evidentes habuit, idololatriam scilicet aliaque peccata, quibus dedita erat, *Conf. Hunn. Tom. III. Opp. Lat. p. 1531.* Quod enim aliqui negant, Saram intactam fuisse apud regem Aegypti, id certe non sequitur ex eo, quod *Gen. XII. 19.* dicitur: *Et tuli eam mihi in uxorem.* Haec enim verba Pharaonis non de facto, sed de proposito cum Sarai congrediendi intelligenda esse, dudum observatum fuit. Neque vero etiam ex eo id iudicari potest, quod v. 17. subiicitur עַל־דְּבַר שָׂרָי quod quidam ita interpretantur, ac si rem et negotium cum ea habuisset, siquidem notum est, quod hic occurat Pleonasmus, ita, ut vocabulum דבר redundet, על דבר שרי *propter verbum Sarai*, h. e. propter Sarai, *conf. Glass. Lib. III. Phil. Sacr. Tract. I. Can. 38. p. 678. ex Tract. III. can. 32. m. 1. p. 848. Lib. V. Tract. I. Cap. III. p. 1463.* Nec denique huc quicquam facere potest, quod Abrahamus a Pharaone fuerit ditatus; id enim factum fuit, ut animum Abrahami, cui uxorem abduxerat, sibi conciliaret. Sufficit, quod afflictus, et percussus rex fuerit a DEO, quod mulierem alienam captam in domum suam abduxisset. Ex quo saltim colligimus, et illum, qui his peccatis, poenisque divinis caussam praebuit, utique peccasse, idque ex maxime deliberato consilio, binisque vicibus, ut historia testatur, sic enim non infirmitas, sed peccatum, quo DEVS vere graviter offensus, et ad poenam commotus fuit, appellari meretur. *Conf. Franz. in Vindic. Disp. Theol. in A. C. Disp. X. Thes. 71. et 72. Thumm. in Imp. Phot. p. 326. 329. 330. Rung. in Gen. p. 584.*

§. XXIII.

Ex eo denique, quod altera vice *Gen. XX. 1. seqq.* legitur Abrahamus denuo uxorem abnegasse, apud Abimelechum regem Gerar, non unius peccati insimulari posse videtur. Conspicimus enim, quam facilis eidem obrepat, tum poenarum, tum indulgentiae divinae, oblivio. Nam quod illi in mentem non venit, se DEVM in Aegypto semel tentasse, nec per suam culpam stetisse, quin uxor Sarai ad alienum virum transiret, in eo excusari nimis crassa socordia non potest. Addimus praeterea, quod et ab ingratitudine immunis plane non fuerit Abrahamus: Si enim ingentis periculi, quod sibi in Aegypto, acciderat, non oblitus esset, secumque reputasset, mirabiliter servatam sibi a Domino uxorem esse, nunquam se rursus sciens ac volens in tale periculum coniecisset. Nunc vero gratiam priorem, divinitus sibi oblatam, quantum in se est, irritam facit, de servanda vita magis, quam uxoris periculo, cogitat, Deique auxilium patienter non expectans, ad illicitam rationem denuo deflectit; hinc reprehensione dignus est.

§. XXIV.

In quibus itaque Abrahamus peccarit, hactenus expeditum a nobis fuit, in S. Patriarcham alias bene affectis, veritatem tamen, et candorem animi, supra omnia amantibus. Quamvis enim *Irenaeo* iudice *Lib. IV. Cap. 50.* eorum, quos Scriptura non increpat, sed simpliciter ponit, nos non debeamus fi-

eri accusatores; praestat tamen Abrahamo maculam imputare, quam legis divinae aciem obtundere, ut scite monet *Dannhaver Colleg. Decal. Disp. VI. p. 457.* Non est enim, quod omnia Patrum facta excusemus, vel omnia, quae a Scriptura commemorantur, probari posse putemus; sed ideo tantum eorum acta utriusque generis maxime insignia afferri, ut sciamus, eos homines fuisse, et, quantumvis essent sanctissimi, lapsos aliquando, saepe per errorem, ut de hoc facto doctissimi Hebraeorum, aliorumque Interpretum credunt, ac statuunt.

SOLI DEO GLORIA.



NOBI-

NOBILISSIMO ORNATISSIMOQVE

DOMINO

RESPONDENTI

AVDITORI SVO VALDE INDVSTRIO

S. P. D.

PRAESES.

ANnus nunc labitur, quod in notitiam mei pervenisti, cum Tute ingenium Tuum disciplinae, ac fidei meae, sponte credidisses. In quo expoliendo eo enixius elaboravi, quo maiorem in Te discendi cupiditatem, in omnesque occasiones proficiendi ardorem, deprehendi. Talem enim Te in Scholis, quas intra velum Tibi hactenus recitavi, praestitisti, ut, sicut Appelles sine linea, sic Tute, sine ingenii exercitio, nullum facile diem praetermittendum esse existimares. Ipse nosti, quam mutuis nos inter assidue certatum fuerit officiis; quum ipse fideliter praecipiendo, moderando, suadendo; Tute cupide imbibendo, consulendo, sciscitando, in amplifica-

plificationem doctrin
Nunc cum autor, su
tyrocinia studiorum
poris rationem redder
dires, promtum Te
buisti, idque voluisti,
eruditorum deducere
minis ducem praeber
tum Tuum ex animi t
uberrimosque industri
clesiam suo tempore
Tibi, ac praedico ; T
rogo, hortorque, ut
quam haud frustra an
non modo feliciter
multumque, vincas,
quum est, in amoris e
lentiae, significatione
Numen sanctissimis p
diis Tuis, hactenus
posterum etiam bened
bus cumulatum, salu
atque ab iniuria tem
gne, clementerque
bergae Saxonum III.
M DCC XIV.

doctrinae Tuae incumberemus.
tor, suasorque Tibi essem, ut
orum poneres, locatique tem-
redderes, et in publicum pro-
n Te ad id, paratumque exhi-
olusti, ut ipse Te in palaestram
educerem, primique me certa-
praeberem. Hoc igitur institu-
animi tota mente Tibi gratulor,
industriae Tuae fructus, in Ec-
mpore redundaturos, polliceor
lico; Teque simul humanissime
ue, ut expectationem Tuorum,
istra animo de Te praeceperunt,
liciter sustineas, sed et longe,
vincas, ac superes. Quod reli-
moris erga Te mei, ac benevo-
catione desino, atque aeternum
ssimis precibus obtestor, ut stu-
actenus laudabiliter tractatis, in
n benedicat, Teque, bonis omni-
m, saluum, sospitemque servet,
ria temporum defensum, beni-
erque tueatur! Vale, Vitem-
um III. Kalend. Iunias A. R. G.
V.